

divinę reconciliationis et protectionis aeternę. Suscipe ante dominum Iesum tuę mentis hospitio. Ubi corpus eius, ibi Christus est. Cum hospicium tuum adversarius viderit occupatum cęlesti fulgore praesentię, intelliget locum temptamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet ac recedet, et tu mediam noctem sine ulla offensione transibis. Admonet etiam sacrificium vespertinum, ut numquam Christum obliviscaris. Non potes oblivisci, cum lectum ascendis eius domini, cui in occasu diei precem fuderis, qui esurientem te sui corporis epulis expleverit. Etenim quod vespere cogitaveris, cito cum evigilaveris, recensebis. Excitabit te ipse dominus Iesus, admonebit ut surgas et eo tempore arma orationis assumes, quo solet incursare temptator.

Dicit etiam populus nationum: ille in prima electione despectus renovatus est ut aquilae iuventute¹ per baptismatis sacramenta. Iuvenis ego sum et despectus: ille ante despectus populis peccatorum. Habeo cęlestium sacramentorum veneranda consortia: iam mensę cęlestis honore suscipior epulis meis, non pluvia udatur, non terrae partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quęrenda, non fontes. Christus michi est cybus, Christus est potus. Caro Dei cybus michi, et Dei sanguis est potus. Non iam ad sacietatem mei annuos expecto provenitus: Christus michi cotidie ministratur. Non verebor, quae michi cęli intemperies aut sterilitas ruris imminuat, si pii cultus diligentia perseveret. Non coturnicum^a pluvias michi opto descendere, quod ante mirabar, non manna quod ante cybis omnibus pręferebam, quia manna manducaverunt patres et esurierunt. Meus cybus est quem si quis manducaverit non esuriet. Meus cybus est qui non corpus inpinguat, sed cor hominis confirmat. Fuerat michi ante mirandus panis de cęlo; scriptum est enim²: panem de caelo dedit eis manducare, sed non erat verus ille panis, sed futuri umbra. Panem de cęlo illum verum michi servavit pater, michi ille panis Dei descendit de cęlo, qui vitam dat huic mundo'.

Es scheint mir keinem Zweifel zu unterliegen, dass wir in der Genter Hs. die bisher ungedruckte Sammel-schrift Herigers vor uns haben, welche Sigebert erwähnt.

a) aus 'coturnicem' verbessert.

1) Cf. Ps. 102, 5. 2) Cf. Exod. 16, 4.